

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Loci theologici**

**Hafenreffer, Matthias**

**Wittebergae, 1622**

I. Locus. De deo

[urn:nbn:de:bsz:31-122765](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122765)

Quid generaliter in singulis tractatur  
Libris?

1. *Primus de Deo.*
2. *Secundus de Angelis:*
3. *Tertius de Homine.*

Qui præterea Loci singulares singulis in Libris explicentur, suo ubiq; commodo loco annotabitur.

## Liber Primus.

Quinam Loci explicantur in primo  
Libro?

Quatuor.

1. *De Deo.*
2. *De Creatione.*
3. *De Providentia Dei.*
4. *De Scriptura sacra.*

I. LOCUS.

## DE DEO.

Cur principium facis de DEO?

**Q**uia hic omnium rerum Principium & Finis est.  
Ab hoc uno omnia bona proficiuntur: Ad hujus  
laudem & gloriam, omnia nostra dicta & facta di-  
rigenda.

*Esa. 44. 6. Ego primus, & ego novissimus, & absq;  
me non est Deus.*

*Act. 17. 28. In ipso vivimus, & movemur, & su-  
mus. Ipsius & genus sumus.*

*Coloss. 3. 17. Omne quodcunq; facitis in verbo aut  
in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu, gratias  
agentes Deo, & Patri per ipsum.*

Quid

Quid per vocem Dei hoc loco intelligitur?

Communi omnium sanorum hominum consensu, Deum propter beneficia Optimum, propter vim & potentiam Maximum appellamus. DEUM igitur intelligimus, primum Ens, primam causam, a qua cetera omnia dependent: Principium & finem, Moderatorem & Governatorem rerum omnium, Regem seculorum, Dominum dominantium, & breviter Deum intelligimus id, quo majus aut melius nihil quicquam ESSE, aut cogitari potest.

Quot membris hic de Deo Locus commode absolvitur?

Si dicatur:

1. Quod sit DEUS.
2. Quid sit DEUS?
3. Quod sit DEUS Unus.
4. Quod sint in unitate Essentie Tres distinctae personae.

Quod modis igitur probatur esse DEUM.

i. Quid sit DEUS.

Duobus.

- I. Ex libro Naturae.
- II. Ex Scripturis sacris.

Quomodo ex Naturae Libro?

Apostolo Paulo teste, invisibilia Dei e Creatione mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus potentia & divinitas. Roman. 1. 20. Id vero non una tantum fit ratione, Nam DEUM esse Naturae iudicio cognoscitur.

Ex ipso hujus aspectabilis Mundi Opificio. Quid enim aliud est, haec ingens mundi machina tam apto, convenienti & admirabili ordine descripta,

B 3

tot,

tot tamq̄ differentibus naturis ac rebus undiq̄ refer-  
 ta, quam clarissima universitatis vox, quæ non solum,  
 summum aliquem Architectum manifestò demon-  
 strat, sed ejusdem simul infinitam deprædicat, sapien-  
 tiam, potentiam, & bonitatem? Quem enim ad Dei  
 cognitionem non instruat præclustis Astrorum fulgor,  
 Solis & Lunæ atq̄, reliquarum errantium stellarum  
 in variâ & multiplici conversione, admirabilis &  
 periodica constãtia, diurna nocturnæq̄, vicissitudines,  
 Temporum ad vitæ munera accommodissimæ varia-  
 tes: rerum omnium, quæ cæli complexu continen-  
 tur, lucet maximè differentium, ad universitatis ta-  
 men statum conservandum harmonica quasi consen-  
 sio, tum omnium & singulorum fabricas atq̄, artifi-  
 cium summè admirandum?

*Psal. 19. 2. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera  
 manuum ejus annunciant Firmamentum. Dies diei  
 eru. Et verbum, & Nox nocti indicat scientiam.*

Et vers 6. *Soli posuit tabernaculum in eis: & ipse  
 tanquam sponsus prodicens thalamo suo; exultavit,  
 ut Gigas ad decurrendum viam. Ab extremitate cæ-  
 lorum exortus ejus, & revolutio ejus ad extremitates  
 eorum: nec est qui se abscondat à calore ejus.*

*Psal. 94. 9. Qui plantavit aurem non audit? Qui  
 fixit oculum, nonne videbit? Quibus verbis Prophe-  
 ta duabus istis solis rebus, aurium & oculorum Opi-  
 ficio, infinitam DEI conditoris bonitatem & sapien-  
 tiam demonstrare voluit. Qui enim aurium anfra-  
 ctuosos illos & tortuosos meatus, ad sonos excipien-  
 dum accommodatissimos: qui propagatos à cerebra  
 nervos, qui reliqua omnia admiranda auditus orga-  
 na, qui similiter oculorum humores, varias & diffe-  
 rentes tunicas, pupillarum palpebrarum, ciliorum &  
 super-*

superciliorum mirabiles usus meditari velit: mente captum, & brutum esse oporteat, qui vel ex his solis ut reliqua omnia taceamus) opificem summè bonum & sapientem non intelligat. Simili Argumento utitur Deus, Exod. 4. 11.

Ecclesiast. 43. 1. Superba altitudo, firmamentum purum. Species cæli cum aspectu glorioso, Sol ad aspectum nunciat de glorioso DEO. Instrumentum admirabile opus altissimi, &c. Magnus est DOMINUS, qui fecit illum, & sermonibus cessare fecit iter. Videatur totum Caput.

Jof. 10. 13.  
Esa. 38. 8.

Idem Gentiles etiam intellexerunt. Sic enim Cicero de Arusp. Responsis: Quis est tam vecors, qui tunc suspexerit in cælum. Deos esse non sentiat? & ea, quæ tanta mente fiunt: ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum atq; vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet?

Et de Divinatione lib. 2. Esse præstantem aliquam, eternamq; naturam, & eam suspiciendam admirandamq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cælestium cogit confiteri.

Ex ordine rerum omnium, & differentibus e arundem nobilitati & dignitatis gradibus. Infimè enim gradum obtinent, quæ tantummodo sunt, ut Elementa, Lapides Metalla. Proximum gradum obtinent, quæ non modo sunt, sed etiam vivunt, ut vegetabilia, Arborea, & Plantæ, &c. Adhuc superiorè tenet animantium vita, quæ non modo vivunt, sed & moventur, & sentiunt. Hisce omnibus, nobiliorem dignitatis gradum Homo sortitus est, Rationis quoq; usu & mente intelligente præditus. Homini, spirituales Creaturæ, Angeli præstant. Neq; ita progredi licet in infinitum, sed ad aliquem summum gradum perven-

niendum, ubiq; conquirendum est, quo nobilius aut  
 prestantius nihil esse aut cogitari possit. Id vero sum-  
mmum ipsa DEI S. S. Maximus & Optimus. Itaq; in  
 ordine Entium, ipse est primum Ens, omnibus, que  
 sunt, Essendi causam prebens. In ordine viventium,  
 primum Vivens, & vita ipsa: In ordine intelligen-  
 tium, ipsa intelligentia: Potentium, ipsa Potentia:  
 Verorum, ipsa veritas: In ordine honorum, ipsa Boni-  
 tas: Et sic Optimus Maximus.

## III.

Ex unanimi omnium gentium atq; populo-  
rum in Divinitatis opinione consensu. Nulla namq;  
 uspiam gens tam fera est & barbara, cujus mentem  
 non aliqua Deorum imbuerit opinio.

" Cic. lib. 1. de Legib. Nulla gens est, neq; tam im-  
 mansueta, neq; tam fera, que non, et si ignoret, qua-  
 lem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.

" Ibid. Lib. 2. Sit igitur hoc jam à principio persua-  
 sum civibus, Dominos esse omnium rerum, ac modera-  
 tores Deos: eaq; qua gerantur, eorum geri iudicio ac  
 numine: eosdemq; optime de genere hominum mere-  
 ri, & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat,  
 qua mente, qua pietate religionis colat, intueri pio-  
 rumq; & impiorum habere rationem. His enim rebus  
 ambute mentes, haud sanè abhorrebunt ab utili, & à  
 vera sententia. Quid est enim verius, quam neminem  
 esse debere tam stulte arrogantem, ut in se mentem &  
 rationem putet inesse, in cælo mundoq; non putet? Et  
 in hanc sententiam plura.

## IV.

Ex hominum, tam malorum, quam bono-  
rum Conscientiis. Boni namq; rectè factorum testi-  
 moniis in omni rerum vultu gaudent, freti divini Nus-  
 minis iustitia & bonitate. Mali v. tametsi nullam ho-  
 minum vim ulticem metuant, ubiq; tamen scelerum  
 sua-

suorum conscientius tacite misereq<sup>3</sup> torquentur. Nemo namq<sup>3</sup> tam audax est, quem mala Conscientia nō timidissimum reddat: ut pote, quæ intus illi dicat, esse Numen & vim divinam, quæ omnia contueatur, & pœnas repetat improbitatis. Hinc illud Poetæ.

Lege DEUM stabili, semper Metus angir iniquos.

Rom 2. 15. Ostendunt opus Legis (Divinæ) scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis Conscientia, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.

Quomodo probas ex Scriptura sacra?

Ex infinitis ferè testimoniis, quæ de DEO loquuntur, ejusdem naturam, & voluntatem celebrant, jussa quoq<sup>3</sup> & mandata illius nobis proponunt: quæ in Scripturis ubiq<sup>3</sup> obvia sunt.

Ex plurimis & stupendis miraculis, quæ omnes Naturæ & rationis humanæ suavitates exuperantia, SOLI DEO adscribi possunt.

Ex admiranda varietate certitudine, quæ de adventu & omni officio Messie, de propagatione Evangelij, in totum terrarum orbem, de quatuor Monarchiarum successu, in aliquot annorum Millia porrigebantur: nec aliunde, quam à solo DEO, proficisci potuerunt. Cum SOLUS ille extra temporis locorumq<sup>3</sup> omnem mutabilitatem existens omnes res habeat presentes: & æternitatem inhabitans, omnes omnium seculorum decursus, ut unum perpetuum & stabile NUNC, contueatur.

Isa. 41. 22. Accedant, & nuncient nobis, quæcunq<sup>3</sup> futura sunt, priora quænam, nunciate, & ponemus cor nostrum & sciemus finem eorum, aut quæ ventura sunt, indicate nobis Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.

B 5

Quot

2. Quid sit  
DEUS.

Quot modis sumitur vox Deus?

Frequentissima Dei appellatio in Scripturis est, quod dicitur IEHOVA & ELOHIM, sed utraq; vox usurpatur bisariam.

I.

Absolutè, seu simpliciter, quando divina Essentia Tribus Personis definita exprimitur.

Genes. 1. 1. In principio creavit Deus (Elohim) Cælum & Terram.

Genes. 2. 4. Iste sunt Generationes Cæli & Terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus (Iehova Elohim) Cælum & Terram.

Deut. 6. 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.

II.

Hypostaticè, quando certa quedam Trinitatis persona denotatur.

Genes. 19. 24. Dominus (Iehova) pluit semper Sodamam & Gomorrhama, sulphur & ignem, à Domino (Iehova) de Cælo.

Ierem. 23. 5. 6. Ecce dies venient, dicit Iehova, & suscitabo David germen justum, &c. Et hoc est Nomen, quod vocabunt eum Iehova iustitia nostra.

Psal. 45. v. 7. 8. Sedes tua Deus (Elohim) in seculum seculi, &c. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus (Elohim Eloheicha) oleo letitiæ, præ consortibus tuis.

Esai. 34. 4. Ipse (Elohim) veniet & salvabit nos.

Ose. 1. 7. Et dixit Iehova: Domini Iuda miserebor, & salvos faciam eos in Domino DEO suo (Elohim.)

Eadem est ratio vocabuli Spiritus, quod alibi simpliciter sumitur, ut Deus est Spiritus. Alibi Patre, Matth. 10. 20. Spiritus Filii Gal. 4. 6. Spiritus Christi, Rom. 8. 9.

Quid

Quid est DEUS, simpliciter sumpto vocabulo?

DEUS est essentia Spiritualis, æterna, infinita, verax, misericors, iusta omnipotens, sapiens, omniprensens, &c. Pater æternus qui inde ab æterno genuit Filium: Et Filius, imago Patris: Et Spiritus sanctus ab utroque procedens.

Hæc qualiscunq; est descriptio Dei, quam ex verbo revelato, tanquam in Ænigmatæ Deum contemplantés, 1. Cor. 13. 12. colligimus. Nam perfecta & accurata essentia ipsius descriptio in hac quidem vita, ab homine dari non potest: facilius autem, quid non sit, quam quid sit Deus, explicatur.

Damasceus de Orthod. sid. lib. 1. cap. 4. Postquam de Deo, quod non sit corporeus, demonstrasset, tandem hæc subjicit; Sed non hoc substantia eius diffinitivum: ut neq; ingenerabile, sine principio, inalterabile & in corruptibile, & quæcunq; de Deo vel circa Deum esse prædicantur. Hæc enim non eius quid est; significant, sed quid non est. Atqui oportet eum, qui vult alicujus substantiam assignare, Quid est, dicere, non quid non est. De Deo ramen, quid est secundum substantiam, dicere impossibile, convenientiusq; de Deo longe est, per omnium ablationem facere sermonem. Nam nihil eorum, quæ sunt, est: non ut non ens, sed ut omnia entia supereminens & super ipsum esse ens, Et Post pauca: Infinita igitur divinitas & incomprehensibilis: Et hoc solum ejus comprehensibile, infinitas & incomprehensibilitas. Quæcunque autem per (a) Theologiam affirmativam de Deo dicimus, non Naturam ejus, sed ea quæ sunt circa Naturam, insinuant, Nam etsi (b) bonum, si justum, si sapiens, si quidvis aliud dixeris non naturam dicis DEUM, sed ea, quæ circa naturam ἐκ τῆς φύσεως, ἢ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκ τῆς φύσεως. a) Theologiam affirmativam vocat, cum per positionem, seu affirmationem aliquid de DEO enunciamus.

Quid

ut cum DEUM dicimus, Substantiam, lucem, vitam, Sapientiam, Virtutem, &c.

b) Commentator. Eorum, quae hoc pacto Deo adscribimus, nonnulla id, quod circa DEI Naturam est, designant, communemque Deitatis proprietatem, ut bonum ipsum, iustum ac sapientem nominantes, significamus ipsi bonitatem, iustitiam aut sapientiam, non quidem accidentariam, sed substantialem adesse.

Proba DEUM esse Spiritum?

Iob. 4. 24. Spiritus est DEUS: & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Et quia Spiritus etiam invisibilis est. Ioan. 1. 18. & 1. Iohan. 4. 12. Deum nemo vidit unquam.

1. Tim. 6. 16. Deus beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.

Si DEUS Spiritus est, quomodo Oculi Aures, Manus & alia membra in Scripturis ei attribuantur?

I.

Quod quaedam in Scripturis corporaliter de Deo enunciantur; non propterea corporeum ipsum, & eiusmodi membris praeeditum esse existimandum est. Huic enim nimium crasso & impio sensui:

1. Ipsa Scriptura repugnat. Iob. 4. 24. Deus est Spiritus.

2. Et, cum Angelos, quin etiam animas nostras, Spiritus esse confiteamur, sequeretur ex absurda illa opinione (cum incorporea Natura, corporea dignitate praestet) & Angelos caelestes Spiritus, & animas nostras, Deo esse praestantiores. Quod summe impium & blasphemum est, vel cogitare.

II.

Utitur autem Spiritus sanctus eiusmodi corporeis figuris, ut per istas quasi imagines, sensibus &  
cogni-

cognitioni nostræ obvias, ad Divinæ Majestatis (que omnia Entia supereminenter transcendit) incorporatæ & spirituales virtutes atq; operationes deducat, qualemcumq; similitudinem habentes, cum iis, que per ejusmodi membra & affectus nostros efficiuntur. Impossibile enim est humanæ Menti (ut rectè Dionys. Areopagita monet, de cœlesti Hierarchia cap. 1. circa medium) ad spiritualium intelligentiam conscendere, nisi mortalium rerum similitudinibus formisque ducatur.

Mysticæ hujus significationis, aliqua Exempla videre velim.

Tribuuntur igitur DEO in Scripturis:

Oculi, ad designandum omnisciam ipsius, & providam rerum omnium contemplationem.

*Job. 14. 3. Dignum ducis super hominem aperire oculos tuos, & me adducis tecum in judicium.*

*Psal. 33. 18. Ecce, Oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.*

*Psal. 34. 16. Oculi Domini super justos.*

*Eccl. 23. 25. Oculi Domini altissimi millies Sole lucidiores. Qui inspicunt omnes vias hominum, & considerant in partes occultas usq; Cui, antequam hæc omnia crearentur, nota erant omnia: Similiterque, postquam consumata sunt, pervidet omnia.*

Aures: ad exprimendam Domini in exaudiendis Supplicantiū precibus, clementem & paternam promptitudinem.

*¶ Esa. 17. 1. Auribus percipe orationem meam Et v. 6. Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.*

*Psal. 34. 16. Oculi Domini super justos: Aures ejus in preces eorum.*

Nares & odoratus; ad designandum gratū bene-

I.

II.

III.

beneplacitum, quod, ut nos ex bene fragrantibus & odoratis, ille ex piorum operibus suscipit & obsequio.

Gen. 8. 21. Edificavit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit Holocausta super altare: odoratus est Dominus odorem suavitatis. Add. Lev. 1, 9. 13. 17.

## IV.

Os & loquela: Quòd voluntatem suam, omnibus absconditā, clare nobis & perspicue revelavit.

Vid. Tom. 8. p. Num. 12. 8. Dicit Dominus de Mose: Ore ad os loquor ei.

Ibid. 20. 24. Colligatur Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quòd inobedientes fueritis ori meo ad aquas contradictionis.

## V.

Vultus & facies: Quod operibus sese manifestum reddat, & quasi oculis coram contemplan- dum: Et quia vultu interiores etiam affectus exprimuntur, utpote, ira, indignatio, letitia & similes, etiam ob hanc causam vultus Domino tribuitur.

Num. 6. 24. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: illumnet Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, attollat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.

Psal. 4. 7. Leva super nos lumen vultus tui Domine, dedisti letitiam in corde meo.

## VI.

Manus & dextera: ad designandam efficaciam operationum ejus virtutem & omnipotentiam

Vid. n. 8. 4. atq; majestatem, quia omnia gubernat, regit & moderatur. Insuper datur, tum ad exprimendum auxilium, quo suos defendit & liberat.

455.

Deut. 5. 15 Memento, quòd servieris in Aegypto, & eduxerit te inde Deus tuus, in manu forti & Brachio extenso.

vid. n. ps. 89. 14.

Psal.

Psal. 118. 16. Dexterâ Domini fecit virtutem. Dexterâ Domini exaltata est. Dexterâ Domini fecit virtutem.

Esa. 41. 10. Ne timeas, quia ego tecum sum: neque terrearis, quia ego Deus tuus confortabo te. & auxili- um tibi feram, & sustentabo te Dexterâ justitiæ meæ.

Pedes, incessus, festinatio: ad exprimendum auxilium piorum, ultionem hostium, & quamcunq; præsentiam Divinam.

Psal. 104. 3. Qui ponis nubem vehiculum tuum qui ambulat super pennas ventorum.

Psal. 70. 2. Deus ad eripiendum me ( adesto ) Domine, adjuvandum me festina.

Simili prorsus ratione ira, odium, furor: item silentium oblivio, somnus, & quæ id genus alia sunt, Deo attribuantur, ad significandum certissimam impiis iminentem peccatorum & scelerum vindictam, vel ejusdem etiam dilationem, ut & auxiliij erga pios tarditatem.

Proba Deum esse æternum.

Genes. 21. 33. Abraham prædicavit ibi nomen Dei ÆTERNI.

Iob. 36. 26. Ecce, Deus Magnus, vincens scientiam nostram: Numerus annorum ejus inestimabilis.

Psal. 90. 3. Priusquam mentes fierent, aut formarentur terra & orbis: à seculo & in seculum tu es Deus.

Esa. 47. 4. Ego Dominus, primus & novissimus ego sum.

Esa. 43. 10. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.

Esa. 57. 15. Hæc dixit excelsus & sublimis, habitans Æternitatem.

VII.

it. Descensio,  
Ascensio. Gen.  
11. 5. c. 17. 22.

VIII.

it. Ritus, ps. 2.  
x. 4. ps. 37. 13.  
prov. 1. 26.

Discretang.

Esa.

*Esa. 64. 16. Tu enim Pater noster es, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: Tu Domine, Pater noster, Redemptor noster, à seculo nomen tuum.*

*Rom. 16. 25. Mysterium, quod aeternis temporibus tacitum, nunc patefactum est, per Scripturas Prophetarum, secundum praeceptum AETERNI Dei,*

Proba DEUM esse infinitum.?

*Infinitus.*

*1. Reg. 8. 27. Caeli caelorum te capere non possunt.*

*Psal. 145. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Proba DEUM esse veracem.

*Verax.*

*1. Sam. 15. 29. Triumphator in Israel non faller, & non poenitebit eum: neq; enim homo est, ut agat poenitentiam.*

*Rom. 3. 3. Nunquid incredulitas hominum fidem Dei evacuabit? Absit. Quin potius Deus verax: omnis autem homo mendax.*

*Heb. 6. 18. Impossibile est mentiri DEUM.*

Proba DEUM esse Misericordem.

*Misericors.*

*Exod. 34. 6. Transiens Dominus ante faciem Moysis, predicavit Dominus, Dominus est Deus misericors & clemens, longanimis & multae benignitatis & veritatis.*

*Psal. 86. 5. Quoniam tu Dominus suavis & mitis, & multae misericordiae: Omnibus invocantibus te.*

*Psal. 103. 8. Miserator & misericors. Dominus longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neq; in aeternum retinebit iram.*

*Esa. 49. 15. Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce, in manibus meis descripsi te.*

*Ier. 31. 10. Nonne Ephraim est mihi filius charissimus?*

quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserabor ejus, ait Dominus.

Luc. 6. 36. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.

Proba DEUM esse Justum.

Psal. 116. 5. Misericors Dominus justus. Et Deus noster miseretur.

Psal. 119. 137. Iustus es Domine. Et rectus iudicium tuum.

Rom. 3. 4. Deus verax, omni autem homo mendax: Sicut scriptum est, ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum iudicaris.

Proba DEVM esse Omnipotentem.

Gen. 17. 1. Apparuit Abraha Dominus, dixitq; ad eum. Ego Dominus OMNIPOTENS: ambulabo coram me, et esto perfectus.

Genes. 18. 14. Nunquid DEO quicquam difficile est?

Esa. 50. 2. Nunquid abbreviata est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum?

Ier. 32. 17. Ah, Domine DEUS: Ecce tu fecisti caelum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum.

ibid. v. 27. Ecce, ego Dominus Deus universa carnis, nunquid mihi difficile erit omne verbum?

Matth. 19. 26. Apud DEUM omnia possibilia sunt.

Luc. 1. 37. Non est impossibile apud DEUM omne verbum.

Ephes. 3. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere

C

super-

IUSTVS.

Omnipotens.

Super abundanter, qui impetimus aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen.

Sagens.

Proba Deum esse Sapientem.

Psal. 147. 5. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus.

Esa. 28. 29. Etiam haec a Domino exercituum prodit, qui mirificus est consilio, magnificus re ipsa.

Ier. 32. 19. Magnus consilio, magnus operibus.

Rom. 10. 27. & 1. Timoth. 1. Regi seculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Ubiq; Sagens.

Proba Deum ubiq; esse praesentem.

Iob 11. 8. Excelsior caelo est, quid facies? profundior inferno, & unde cognoscet? Longior terra mensura eius, & latior mari.

Psal. 139. 7. Quod ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es, si lectum sternerem in infernum, ades, si sumptero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis mari, illic etiam manus tua duceret me, & apprehenderet me, Dextra tua.

A& 7. 48.

Esa. 6. 3. Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.

Esa. 66. 1. Hec dicit Dominus: Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, quae est ista domus, quam edificabitis mihi? Et quis est iste locus quietis meae? Omnia haec manus mea fecit, & facta sunt universa, ista dicit Dominus.

Ier. 23. 23. An Deus est propinquo sum ego? Et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis: Et ego non videbo eum? dicit Dominus. Annon caelum & terram ego impleo? dicit Dominus. A&.

*Act. 17. 27. Deus non longe est ab unoquoque nostrum: In ipsa enim vivimus, & movemur, & sumus.*

*Eph. 4. 6. Unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.*

Quomodo verò Deus est omnipræfens?

*Non mole corporea per intervalla distentus: Corporeus namq̄ non est: Sed, ut Spiritus infinitus, omnia permeans, & continens; contentus à nullo. Proinde cum hisce & alijs Scripturæ locis Domini omnipræfentia celebratur, omnis locorum capacitas, omnesq̄ spaciorem cogitationes pocul sunt removende.*

Athanasius Orat. contra Sabelij gregales, post medium: Quis locus quietis meæ, dicit Dominus: Cœlumne? Atqui cœli cœlorum non sufficient tibi, inquit Salomon, ad Deum verba faciens: Magno argumento mortales docens, nihil locorum Deitatis esse capax. Magnus inquit, mea fecit hæc omnia. Non igitur opera intra se continent opificem suum, qui & ante odera existebat, illisq̄ ut existerent, causam præbuit viribusq̄ suis stabilivit. Atque ideo ait Paulus: Ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia. Ac rursus idem: In eo enim vivimus, movemur & existimus, &c. Et post pauca: Ne requiras magnitudinem loci tam spaciosam; quæ capere possit Dei magnitudinem; Non enim id, quod immensurabile est, in mensurato contineri poterit, Et iterum: Deus non eodem modulo cum universitate rerum decurrens adimpler universa. Corporale enim id est: ut si exempli causa, dicas aerem implevisse quicquid inter cœlum & terram est. Caterùm hic non ita agitur: Deus enim ut vis ac potentia continet omnia, eo, quod potentia incorporalis & indivisibilis sit, non ambiens nec ambita. Idem de Filio, & Spiritu sancto existimandum. Quippe per Filium & in Spiritu omnia Deus & constituit, & amplectendo conservat. Impium igitur aut querere aut cogitare, ubi sit Deus, aut quem locum obtineat Verbum, aut Spiritus sanctus, in quo domicilio claudatur. Hæc ibi.

In descriptione DEI mentionem fecisti Patris; Filii & Spiritus sancti: ane plures sunt Dij?

I. Quod unus sit DEUS.

Unus est Deus Essentiâ: sed idem Essentiâ DEUS UNUS. Trinus est personis; quorum hoc in sequentibus etiam monstrabitur.

Proba Divinae Essentiae UNITATEM.

De UNITATE Divinae Essentiae constat ex jû Scripturae Testimoniis.

I.

Quæ UNUM DEUM esse claris & perspicuis verbis exprimunt.

Deut. 6. 4. Marc. 12. 29. Audi Israel, Dominus DEUS noster JEHOVA UNUS est.

Eccles. 18 UNUS est altissimus Creator omnium, omnipotens & Rex potens.

Matth. 19. 17. Marc. 10. 18. Nullus est bonus, nisi UNUS DEUS.

1. Corint. 8. 6. Nullus est Deus alius, nisi UNUS. Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in caelo, sive in terra (siquidem sunt Dii multi & Domini multi) nobiscum tamen UNUS est DEUS, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

Gal. 3. 20. Mediator unius non est: DEUS autem UNUS est.

Eph. 4. 6. UNUS DEUS & Pater omnium.

1. Tim. 2. 5. UNUS DEUS, unus & Mediator DEI & hominum, Homo Christus Iesus.

II.

Quæ DEUM SOLUM esse attestantur.

Deut. 32. 39. Videte nunc, quod ego sim, & non sit DEUS mecum.

2. Reg. 19. v. 15. 19. Tu es Deus solus.

Psal. 136.

Psal. 83. 19. Et cognoscant, quia nomen tibi Domi-  
nus, tu SOLUS altissimus super omnem terram.

Psal. 96. 10. Quoniam Magnus es tu, & faciens mi-  
rabilia. Tu es DEUS SOLUS.

Esa. 37. 20. Et nunc, Domine Deus noster, salva  
nos de manu eius, & cognoscant omnia regna terre,  
quia tu es Dominus SOLUS.

Ioan. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te  
SOLUM DEUM verum; & quem misisti Iesum  
Christum.

Rom. 16. 27. SOLI sapienti DEO, per Iesum  
Christum, gloria in secula, Amen.

1. Tim. 1. 17. Regi seculorum immortali, invisibili  
SOLI sapienti DEO honor & gloria in secula secu-  
lorum. Amen.

Quæ aliis exclusivis particulis, DEVM III.  
UNUM & SOLUM esse, satis aperte docent, ut:  
præter Deum aut extra Deum non esse alium, & ne-  
minem Deo esse similem & quæ id genus sunt alia.

Deut. 4. 35. Ipse est DEUS, & non est alius præ-  
ter eum.

Et vers. 39. Scito ergo hodie, & cogitato in corda,  
quod Dominus ipse est DEUS, in celo sursum, & in  
terra deorsum, & non sit alius.

Ibid. 32. 39. Videte nunc, quod Ego Ego sum, & non  
sit DEUS mecum.

1. Sam. 2. 2 Non est sanctus, ut est Dominus: neq̄  
enim est alius extra me, & non est petra sicut DEUS  
noster.

2. Sam. 7. 22. Magnificatus es Domine DEUS,  
qui non est similis tui, neq̄ est Deus extra te.

2. Sam. 22. 32. Psal. 18. 32. Quis est DEUS præter  
Dominum? Et quis est Petra, præter Deum nostrum?

1. Reg. 8. 60. Sciunt omnes populi terra, quia Dominus ipse est Deus, & non est ultra

2. Reg. 5. 15. Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra: nisi tantum Israel.

1. Par. 18. 20. Domine, non est similis tui, & non est alius Deus absq̄, te.

2. Par. 6. 14. Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in celo & in terra

Esa. 44. 8. Nunquid est Deus absq̄, me.

Verf. 24. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos Solus, dilatans terram, & nullus mecum.

Ibid. 45. 5. Dominus, & non est alius: extra me non est Deus

Ibid. 46. 9. Ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei.

Ioel. 2. 27. Ego Dominus Deus vester, & non est amplius.

## IV.

Quae DEUM primum & novissimum esse docent.

Esa. 41. 4. Quis hoc operatus est & fecit, vocans generationes ab Exordio? Ego Dominus, primus & novissimus ego sum.

Esa. 44. 6. Ego primus & ego novissimus, & abs me non est Deus.

Esa. 48. 12. Ego sum, ego primus & ego novissimus.

Esa. 43. 10. Ego ipse sum, ante me non est formatus Deus, & post me non erit.

Apocal. 1. 8. Ego sum Alpha & Omega (mega) principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.

Ibid. xxi. 6. Ego sum Alpha & Omega (mega) initium & finis.

Ibid.

Ibid, 22. 13. Ego sum Alpha & Omega (mega) primus  
& novissimus, principium & finis.

Denique in superioribus monstratum,  
& inter saniores quoque Ethnicos in confesso est; Deum  
Optimum, & Maximum, & infinitum esse Optimum  
autem, & Maximum, & infinitum unicum dunta-  
taxat esse potest, non Duo, multo minus plura.

Hisce omnibus invictis Argumentis certissimum  
constat, ~~DEUM UNUM esse, non plures.~~

Quid verò, anne satis scire, UNUM esse  
DEUM: nec ullo profus in Mysterio

Divinitatis admittenda plu-  
ralitas?

Hodierni sanè Iudei (cum Antitrinitarii) unum  
quidem Deum esse confitentur: Sed Personarum plu-  
ralitatem pervicaciter negant. Nos verò eundem ve-  
rum DEVM & UNVM & TRINVM Catholi-  
ca veritate veneramur. Quod mysterium est omni  
Rationi humane absconditum; Sanctis autem reve-  
latum Scripturis.

4. Quòd in  
unitate Di-  
vinitatis,  
fit aliqua  
pluralitas.

Quid igitur in hujus Mysterii contempla-  
tione attendendum?

Ut ea, quæ de ineffabili & super benedicto Trin-  
tatis Mysterio, in sacrosanctis Scripturis, tanquam in  
Ænigmate nobis revelata sunt, debita cum reveren-  
tia meditemur, hæc sequentia capita diligenter sunt  
attendenda:

1. In Divinitatis unitate, quandam esse  
pluralitatem. -
2. Pluralitatem istam non esse ESSEN-  
TIÆ aut accidentium, sed Personarum.
3. Personarum pluralitatem non esse in-  
certam aut infinitam, sed definitam Trinitate.

C 4

4. Quæ

## 4. Quænam sint illarum Trium Personarum Nomina &amp; Differentiæ.

Primum itaque proba esse in Divinitatis Unitate aliquam pluralitatem.

Pluralitas  
in Divini-  
tate.

I.

In Divinitatis Unitate aliquam pluralitatem esse patet.

Quia Deus, qui unus est, vocatur Elohim, pluraliter, quæ tamen vox suo singulari neq; in sancta Lingua destituitur, neque in ipsis Scripturis, DEO tributa, deest, ut videre est Iob. 4. 6 & 15. 8. Inde plerique hodie Theologi non tantum pluralitatem personarum in Divinitatis mysterio colligunt: sed quia eadem pluralis vox in infinitis propemodum Scripturæ locis, cum verbo singulari constructa legitur: ut Elohim creavit Cælum & Terram, Gen. 1. 1. Ea ipso & Essentiæ unitatem, & Personarum pluralitatem insinuari dicunt.

Quia verò hoc Argumentum Instantiam patitur. Quod nimirum singulari Hebræicæ Lingue Idiote sua non de DEO tantum, sed de hominibus quoque & aliis rebus, eadem vocum structura occurrat, qua pluralia singularibus jungantur.

Genes. 39. 20. Et accepit Domini Ioseph eum, pro Dominus Iosephi.

Esa. 19. 4. Et concludam Ægyptum in manu Dominorum duri.

Ibid. 3. 10. Dicite justo, bene esse, quia fructum studiorum suorum comedent.

Ibid. 16. 8. Arva Hesbon languescitur est.

Exod. 21. 4. Si Dominus ejus dedit ei uxorem, & peperit ei filios vel filias: uxor & nati ejus erunt Domini ejus, & ipse egredietur in corpore suo.

Scien-

Sciendum est. 1. Vocem Elohim non tantum cum verbo singulari, sed etiam cum plurali constructam inveniri.

Gen. 20. 13. Quando errare me fecerunt Dij, de domo Patris mei,

Ibid. 35. 7. Quoniam ibi relati sunt ipsi Dij, cum fugeret metu fratris sui.

2. Similiter cum Adjectivo plurali.

Deut. 5. 26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Deorum viventium ( Elohim Chajim ) qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, & possit vivere.

Ios. 24. 19. Ne poteritis servire Domino, Dij enim sancti ipse: Elohim Kedoscchim.

Psal. 58. 12. Utiq; est Dij Iudices in terra. Elohim Schophetim.

3. Quibus affine est, quod Psal. 149. 2. legitur: Latetur Israel in factoribus suis. Et Esa 54. 5. Marti ( vel dominatores ) tui; factores tui. Iehova exercituum nomen eius.

Quibus omnibus ponderatis non leve pluralitatis Argumentum istis loquendi modis insinuatur.

Quia Deus in quinque Scripturæ Locis Veteris Testamenti de seipso pluraliter loquitur.

II.

Gen. 1. 26. Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram.

~~Gen. 2. 18. Faciamus Homini Adjutorium.~~

Gen. 3. 22. Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est: sciens bonum & malum.

Gen. 11. 7. Venite, descendamus & confundamus linguam ipsarum.

Esa. 6. 8. Audivi vocem Domini, dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis?

C 5

Quæ

Quae omnia neq̄ de Angelis intelligi possunt, utpote, qui nec Consiliarij Dei sunt, &c. (Quis enim Consiliarius ejus) nec in opere Creationis cum Deo concurrunt: neque propter reverentiam vel auctoritatem potestatis asserendam, ita de se loquutus est Deus: sicut inter Magnetes, usu est receptum cum de se uno quisq̄, quasi de pluribus sermonem facit: DEVS autem ad explicandum majestatem suam ejusmodi adminiculis nihil indiget: alioquin etiam non aliquoties tantum & raro sane, sed semper in eundem modum loquutus fuisset) ut principes semper solent) quod factum tamen non est.

## III.

Quia aliquoties in Scripturis Jehova de Jehova; sive Dominus de Domino loquitur: quod pluralitatem Personarum apertissime evincit.

Genes. 19. 24. IEHOVA, pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, à IEHOVA è caelo.

Psal. 110. v. 1. Dixit Dominus Domino meo, sede à Dextris meis. Ubi per vocem Adonai non aliquis terrenus Dominus intelligi potest: quorum nullus unquam ad Dextram DEI exaltatus est. Sed Christo interprete, de Filio DEI incarnato est dictum: qui & Filius & Dominus Davidis est, secundum humanitatem suam ad Dextram DEI exaltatus. Unde paraphrastes Chaldaeus (cui contradicere nefas est Iudaeis) ita reddidit: dixit Dominus Verbo suo.

Ier. 23. v. 5. 6. Ecce dies veniunt, dicit IEHOVA: & suscitabo David germen justum, &c. & hoc est Nomen ejus, quod vocabunt eum Iehova, Iustitia nostra.

Ose. 1. 7. Et domui Iuda miserabor (ego Iehova) & salvabo eos in Domino Deo suo.

Quia

Quia non raro Scriptura de DE O loquens  
Oratione copulativa utitur, & plura DE O conjun-  
git, ut Verbum aut Spiritum ejus: vel alia quacunq;  
sermonis forma plurium facit mentionem.

Pfal. 33. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spi-  
ritu oris ejus omnis exercitus eorum.

Pfal. 107. 20. IEHOVA misit Verbum suum, &  
sanavit eos.

Esa. 34. 16. Quod ex ore meo procedit, Dominus  
mandavit, & Spiritus ipse congregabit ea.

Ibid. 48. 16. Dominus DEUS misit me & Spiritus  
ejus.

Ibid. 61. 1. Spiritus Domini super me, etenim unxit  
Dominus me, ad evangelizandum afflictis misit me,  
&c.

Daniel. 9. v. 17. Exaudi DEVS noster propter Do-  
minum.

Sic Psal. 45. 8. Dilexisti Iustitiam, & odisti ini-  
quitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo  
letitiæ præ consortibus tuis.

Eodem pertinet, quando nomen Tetragramma-  
tum: Iehova, aut simile aut Dominus, sive Deus ge-  
minatur, aut ter geminatur in Scripturis.

Esa. 26. 4. Sperate in Domino perpetuo, quia in  
Iah Iehova est Petra eterna.

Ier. 33. 2. Sic ait Iehova, facturus istud Iehova  
formans istud ad stabiliendum ipsum: Iehova Nomen  
ejus.

Utumque igitur ex Scripturis patet, & UNVM  
esse Deum: & in illa ipsa Divinitatis Unitate quan-  
dam esse pluralitatem.

Quæ

Quia

Quomodo verò illam, unum esse plura-  
& plura esse unum ?

Hoc verò neq; ratione nostra intelligi, neque  
verbis satis commodis exprimi potest. Est enim hoc  
sublime istud & adorandum *Mysterium*, quod non  
mentis aut Rationis nostra modulo metimur, sed ut  
scripturis sanctis revelatum est, pia humilitate vene-  
ramur.

Sol

Annon tamen similitudinibus quibusdam,  
ceu rudissimis lineamentis, hæc VNI-  
TATIS PLURALITAS aliqua-  
tenus adumbrari potest ?

Quod adorande Divinitatis *Mysterium* exprimat,  
NIHIL in omni rerum universitate reperire licet.  
Creaturas enim, Deus Creator immensus Graduum  
intervallis excedit. Ut tamen de hoc tanto *Mysterio*  
vel balbutire aliquid & cogitationes nostras ad ejus-  
dem venerandam sublimitatem erigere atq; excitare  
valeremus, pia Antiquitas, similitudinibus quibusdã  
e medio creaturarum sumptis, rem tantam adum-  
brare conata est.

Aliquas ejusmodi similitudines au-  
dire velim.

I. Primariam, & huic *mysterio* adumbrando  
accommodatissimam arbitrantur, similitudinem A-  
nime: Qua delineari possit, UNUM, Ratione qua-  
dam posse esse Plura, & Plura Unum.

Nam anima humana, & unica est & multa seu  
plura in quovis hominis, unica Ratione Essentia;  
Multa seu plura, Ratione Facultatum, realiter ab se  
invicem differentium. Quantum enim Vegetatrix  
a sentiente, & hæc ambæ (dov'pueis) ab intelligente  
differant, nemo nescit. Nulla equidem harum

*Plura similia vid. in D. Maji Theol. facult.  
Luth. Loc. II. §. 34. p. 170. 171.*

facultatum de alia; ipsa vero Anima de singulis prædicatur. Sic unica est Essentia divinitatis: unius autem Essentiæ plures sunt Hypostaseis; quarum nulla de alia; de singulis autem Essentiæ vocabulum, Deus nimirum enunciatur. Nam Pater est DEUS: Filius est DEUS: Spiritus sanctus est DEUS: nec tamen Pater Filius est, aut Spiritus sanctus: similiter Filius nec Pater est, nec Spiritus sanctus: & Spiritus sanctus neque Pater est, neque Filius. Sed sicut anima est Tres sue Facultates: & Tres Facultates, Anima: Ita DEUS unus est Tres personæ, & tres Personæ DEUS unus.

Porrò idem Mysterium Unitatis Essentiæ & Personarum pluralitatis, ex ipsis quoque appellationibus, quæ Filio DEI in Scripturis tribuuntur, adumbratum intelligitur. Vocatur enim Filius DEI Verbum Patris. Sicut ergo verbum animo primum tacite concipitur, & inde ad exprimendum sensum profertur Auditori: utriusque autem sensus unus est. Sic una quidem est essentia Patris & Filii, Alius autem Concipiens Verbum, & alius Verbum Conceptum.

Heb. 1.3. Filius DEI Splendor Patris nuncupatur. Et Ioan. 1.9.4.5.6.7.8.9. Lux & Lumen in tenebris lucens, & illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Istis consona sunt verba Symboli, quibus DEI Verbum, DEUM de DEO, Lumen de Lumine confitemur. Qua similitudine non tantum Patris & Filii indivisa unitas, sed æterna quoque generatio indicatur. Quemadmodum enim Lux, & Radius lucis, nunquam separantur, sed indissolubili vinculo connexa sunt, nec Radius sine Luce, nec Lux sine Radio esse potest: sed splendidissimum Lumen splendidissimum ex se Radium fundit: Ita Pater æternus nunquam sine Filio, nec Filius sine Patre

I.

II.

tre unquam exiitit: sed ab æterno Patre generat Filium, & ab æterno Filius à Patre generatur.

Porro eadem hac Comparatione, Myſterium Unitatis & pluralitatis in Divinitate haud parùm illustrari poteſt. Si enim noctu Tres alicubi lucernas accendas, unicum illò lumen in medium aerem exſe fundunt: Eſt enim hac Natura Luminis, ut facile lumen lumini conjungatur: & mutua  $\omega\epsilon\chi\omega\epsilon\eta$  ita totum in totum inmeat, ut ex multis lampadibus, unum in medio Lumen efficiatur: Quod ita tamen diſtinctum eſt, ut non tantùm (quod Optici norunt) ſingula Lampades diſtinctos radios fundant, ſed una quoque & altera lampadibus ſubtractis, minuto lumine, diſtinctos è medio radios ſubtractos eſſe non obſcure deprehendatur. Unde colligitur, illam lucis unionem, &  $\omega\epsilon\chi\omega\epsilon\eta$  mutua & intimam, non impedire, quo minus certa inſit diſtinctio, cum è medio illo & unito lumine adeò facilis ſit diſtinctorum radiorum ſeparatio. Qua re, veluti manu ad contemplandum Divinitatis myſterium deducimur, in quo ſimul & Eſſentia unitatem, & diſtinctam Perſonarum Trinitatem veneramur.

## IV

Rurſum, Heb. 1. 3. Filius Dei Character nominatur Subſtantia Patris. Quo nomine denuò & Eſſentia Divinae unitas, & Perſonarum diſtincta pluralitas, tum earundem, majeſtatis & gloriae reſpectu, compar equalitas deſignatur. Una namq; imago & in Sigillo eſt, & in Cera ſigillata: eadem tamen in Sigillo & in Cera diſtincta. Tum etiam nihil proſus in Sigillo videmus, quod Cera ſigillata, non impreſſum inveniatur. Sic Filium Dei, & idem eſſe cum Patre & eundem ab eodem diſtinctum eſſe credimus, tum etiam nihil proſus eſſe in ſubſtantia Patris, quod non  
plenissi-

plenisime & perfectissime in Filio expressum sit, eadem pietate confitemur.

Sed eadem hac comparatione ( si minuta hæc infinito & ineffabili mysterio conferre liceat ( aliquatenus etiam Spiritus sancti processio adumbrari possit. Cum enim Sigillum Cere imprimitur; non tantum perfectissimus Imaginis character formatur: sed instrumenti, cui appenditur Sigillum, Confirmatio oritur & obsecratio. Sic in Divinitate, non tantum Pater est, & Patris perfectissimus Character, Filius, sed etiam, qui ab utroque procedit, Spiritus sanctus, percommode hinc in Scripturis, Signaculi; pignoris & Arthabonis Nomen sortitus. 2. Corinth. 1. 22. & 5. 5. Edh. 1. v. 13. 14.

Et si placet, eandem similitudinem alio quoque modo contemplabimur. Homo est, forma vultusque elegantissimo, is in speculum contuens, sui ipsius imaginem perfecte expressam videt, & pulchritudine motus, sui quoque concipit amorem. Ubi tria simul concurrunt: Homo, sui ipsius contemplator: ejusdem absolutissima Imago, & ardentissimus Amor. Quo exemplo mentis nostra tarditas, de Divinitatis Unitate, Personarum pluralitate & processione, quasi in Enigmate erudiri potest. Pater enim cælestis, dum seipsum intra Essentiam suam contemplatur, unde ab æterno Filium produxit, sui ipsius perfectissimam Imaginem, cujus utriusque Amor est Spiritus S. ab utroque procedens.

Hæc de similitudinibus, quas ipsum divinum verbum, ad contemplandum Divinitatis Mysterium, nobis suppeditat: in quibus tamè omnibus, multo majores sunt dissimilitudines, quam similitudines: nihil n. neg. in celo est, neg. in terra, quod infiniti Dei naturam referre; nulla nec vox, nec ratio est, que mysteri-

mysterium tantum digne explicare possit. Illis igitur que in Scripturis sanctis revelata nobis sunt. contenti, neq; prater modum in investigando curiosi simus. cum Scrutator Majestatis opprimendus legatur à gloria. Illi enim, qui oculos in splendorem Solis desigunt, oculorum aciem hebetant: Ita, qui extra Scripturarum terminos exagantur, ut lucem illam infinita Divinitatis propius, quam in hac vita concessum est aspiciant, à Majestate gloriæ opprimuntur.

Qualis itaq; est illa pluralitas?

2. Quenam  
& qualis  
sit ista plu-  
ralitas.

I.

Pluralitas in Divinitatis Unitate.

Non est Accidentalís. Est namq; Deus purissimus & simplicissimus, in quem accidentia nulla cadunt. Nulla igitur cum sint Accidentia, nulla etiam hinc exoriri potest pluralitas.

II.

Nec est Essentialis. Nam unicum esse Deum jam in superioribus demonstratum: Et in Gentilitiam *πολυθεΐα*, vanam persuasionem concedere, impium & Prophanum est.

Sed est hypostatica, hoc est, pluralitas personarum. Nam essentia quidem Divinitatis est UNA, sed personæ sunt plures. Adeoq; in Mysterio Divinitatis, est quidem Alius & Alius, sed non Aliud & Aliud. Alia namque persona est Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed non alia & alia, verum una est omnium personarum Essentia. In persona autem Christi est Aliud & Aliud; non autem Alius & Alius. Duae nimirum Nature, sed unus Christus:

Quid est Hypostasis seu Persona in hoc Mysterio?

Persona Divinitatis, est Substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio.

Vox

Vox autem *ἁποσιτισ*, non ab hominibus confecta, sed in ipsis etiam Scripturis usurpata est.

Hebr. 1. 3. *ὃς ὡς ἀπαύγασμα τῆ δόξης, καὶ καθάρτη τῆς ἁποσιτισ* *αὐτῆς*.

Affentior, plures esse Personas Divinitatis: verum, quot sint numero, nondum constat.

Dic igitur. Estne illa Personarum pluralitas finita aut infinita. Et, si finita, quot

Personarum?

DEUS quidem est *Essentia infinita, immensa*, *incomprehensibilis*: Sed numerus Personarum in Divinitate, & finitus, & Ternario determinatus est.

Tres enim sunt nec pauciores, nec plures Divinitatis Personae. Unde nomen *Sacrosactae Trinitatis* exortum est.

3. Pluralitatem illam esse Trinitatem.

Proba tres esse Divinitatis Personas.

Mysterium Trinitatis, in utroque sanè, & in veteri & in novo Testamento revelatum est: major tamen Lux, ut reliquorum Articulorum, ita hujus quoque mysterij in Messia, hoc est, Novi Testamenti tempora est reservata.

Profer aliqua Testimonia Veteris Testamenti.

2. Sam. 23. 2. Spiritus Iehovae loquutus est in me & sermo ejus per linguam meam: Hoc est, Deus Pater, per Filium in Spiritu sancto animum meum & linguam meam ad Prophetias edendum instruxit.

Psal. 33. 6. Verbo Domini caeli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

Esa. 63. 7. & seq. Miserationum Iehovae recordabor, laudabo Iehovae super omnibus, quae reddit nobis Iehova, &c. Et dicit (Iehova) veruntamen populus meus

D

meus

meus est, Filij non falsi, & factus est eis Salvator, &c. Et Angelus faciei ejus salvabit eos, &c. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & affligerunt Spiritum sanctum ejus. Quibus in verbis Trium Personarum fit mentio. Iehova, qui est Pater, Angeli faciei ejus, qui Filius: & Spiritus sancti.

Eodem referenda sunt, & isthæc Scripturæ Testimonia, in quibus Iehova, aut Domini vel Dei vox, tergeminata repetitur.

Num. 6. 24. Benedicat tibi Iehova, & custodiat te. Illuminet Iehova faciem suam tibi, & misereatur tui, attollat Iehova vultum suum ad te, & det tibi pacem.

Psal. 67. 7. Benedicat nobis Deus, Deus noster, Benedicat nobis Deus, & reveantur eum omnes fines terre.

Sic Esa. 6. 3. Sanctus, sanctus, sanctus Iehova exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.

Ibid. 33. 22. Iehova vindex noster, Iehova Legislator noster: Iehova Rex noster, ipse servabit nos.

Profer aliqua Testimonia ex Novo Testamento.

Hæc tantò illustriora sunt præcedentibus, quantò splendidior Lux, secundùm etiam Prophetarum vaticinia, in Novo Testamento & Messie temporibus fuerat exoritura.

Matth. 3. Cum primis autem illustris est Osô Qvavica, facta in Baptismo Christi: Ubi Filius in Iordane baptizatur. Pater de cælo loquitur, dicens: Hic est Filius meus dilectus. Et Spiritus sanctus in columbæ specie descendens, super Filium baptizatum requiescit.

Matth. 28. 19. Eadem Personarum Trinitas in præscripta forma administrandi Baptismatis expressa est.

Enn-

Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Iohan. 15. 26. Cum venerit Paracletus, quem EGO mittam à PATRE, SPIRITUM veritatis, qui à Patre procedit.

1. Iohan. 5. 7. Tres sunt, qui Testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus. Et hi tres Unum sunt.

Supereft, ut quæ Trium istarum Personarum Nomina sint, & differentiæ inquiramus: Quibus igitur Nominibus insignitæ sunt singulæ Personæ Trinitatis?

Ex citatis Novi Testamenti dictis, quæ fitum patet. Sunt enim Trium Personarum, Trium Nomina: Pater: Filius, qui & Verbum Patris appellatur: item Splendor gloriæ, & Character Substantiæ ipsius, Ioh. 1. 1. Hebr. 1. 3. Spiritus sanctus.

4. Trium Personarū Nomina & differentiæ.

Sed eadem in veteri quoque Testamento revelata fuisse, ex diligenti Scripturarum examine patere potest. Nam:

Psal. 2. 7. legitur: Filius meus es tu, hodie genuite. Quibus verbis duarum Personarum appellatio innotescit: Patris nimirum & Filij.

Sed idem Filius, etiam in Vet. Test. Verbum Patris appellatus est, quod per Verbum, hoc est, per Filium, & omnia sunt creata, & voluntas Domini hominibus revelata.

Psal. 33. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Porro Tertiam personam, Spiritum sanctum appellari in Scripturis, & ex hoc proximo, & aliis in superioribus citatis testimoniis manifestum est.

Quomodo differunt inter se sanctæ Trinitatis Personæ?

I. Personas Divinitatis nec Essentialiter, nec Accidentaliter inter se differre, ex superioribus notum esse potest. Quia illud pluralitatem DEORUM: hoc verò compositionem quandam (cujus Deus prorsus expers est) introduceret.

II. Nec sola mentis consideratione tantum differunt, quod in scholis λόγῳ differre appellantur.

III. Sed est Differentia inter divinitatis personas Realis. Alia namq; & realiter differens persona est Pater, Alia & à Patre realiter differens persona est Filius: alia deniq; & à Patre & Filio realiter differens Persona est Spiritus sanctus. Verbi gratia:

In revelatione Trinitatis Matth. 3. circa Baptismum Salvatoris facta: Alius est Pater cœlitus de Filio loquens. Alius est Filius, qui in Iordane baptizatur: Alius deniq; est Spiritus sanctus, qui supra baptismum, & paterno Elogio commendatum Filium, visibili forma quiescit.

Similiter ex dicto Iob. 15, 26 patet: Alium & realiter distinctum esse Spiritum sanctum, qui mittitur: Alium esse Filium mittentem: & Alium deniq; Patrem, à quo mittitur Spiritus sanctus.

Realiter igitur, sive τῶ ἐν αὐτῷ (ut in Scholis loquuntur) ab se invicem Divinitatis Personæ differunt: ab ipsa verò Divinitate, tantum τῶ λόγῳ, seu formaliter. Nam divinitas, sive unus ille & Solus verus Deus est tres Personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus: Et Tres Personæ, realiter differentes, Pater, Filius & Spiritus sanctus, sunt Unus & Verus Deus.

Sicut autem Trinitatis Personæ realiter ab se invicem differunt: ita singulæ à singulis, suis Hypostaticis proprietatibus distinguuntur. Quæ

Quæ sunt illæ proprietates Hypostatica?

I. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens: sed ab eterno genuit Filium: à quo, ut & à Filio, Spiritus sanctus procedit.

II. Filius à Patre Solo est, non factus, nec creatus, sed ab eterno genitus, & in temporis plenitudine, propter salutem nostram, incarnatus, à quo, & à Patre, Spiritus sanctus procedit.

III. Spiritus sanctus à Patre & Filio est, nec creatus, nec genitus: sed inenarrabili productione procedens.

Porro sicut ipsæ Divinitatis personæ proprietatibus Hypostaticis distinctæ sunt, quod nimirum Pater est Deus ingenuus; Filius, Deus genitus; Spiritus sanctus, Deus procedens: Sic reliqua omnia attributa, quæ de Hypostasibus enunciantur, distincta esse intelliguntur. Est namque Patris Omnipotentia, Omniscentia, &c. Omnipotentia & Omniscentia ingenua: Filii Omnipotentia genita: Spiritus sancti, Omnipotentia procedens.

Quæ omnia, cum in Symbolis Athanasiano & Niceno pulcherrimis & elegantissimis verbis explicentur, ejus rei gratia utrumq; illorum hoc loco inserere placuit.

SYMBOLUM NICENUM.

**C**redo in Unum DEUM, Patrem Omnipotentem, Factorem cæli & terræ, visibilibus omnium & invisibilium.

Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula.

D 3

DEUM

Vid. Büchlin. tract. de Baptes. ad inf. p. 80.

Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis.

Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine & HOMO factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est.

Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, & ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos & mortuos, cuius Regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.

Et Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.

Confiteor Unum Baptisma, in remissionem peccatorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi saeculi, Amen.

### SYMBOLUM ATHANASIANUM.

Athanas. Conc. Nic. acerrimus vindex moritur circa An. Chr. 371. **Q**uicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem.

Quam, nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem Catholica haec est, ut UNUM DEUM UNUM in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremus.

Neque confundentes Personas, neque substantiam separantes.

Alia

*Alia enim Persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.*

*Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Una est Divinitas, equalis gloria, coeterna majestas.*

*Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.*

*Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.*

*Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.*

*Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus.*

*Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.*

*Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus.*

*Similiter, Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus sanctus.*

*Et tamen non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens.*

*Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.*

*Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.*

*Ita, Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.*

*Et tamen non Tres Domini, sed unus est D O M I N U S.*

*Quia, sicut singulatim unamquamque Personam Deum & Dominum confiteri, Christiana veritate compellimur.*

*Ita Tres Deos aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.*

*Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.*

*Filius à Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus.*

Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filij, unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus.

Sed totæ tres Personæ, coeternæ sibi sunt & coæquales.

Ita, ut per omnia, sicut jam supra dictum est, & Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quod Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, Deus & homo est.

Deus est ex Substantia Patris, ante secula genitus, & Homo ex substantia matris, in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus Homo, ex anima rationali & humana Carne subsistens.

Æqualis Patri, secundum Divinitatem; minor Patri, secundum Humanitatem.

Quid licet Deus sit & Homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem, non conversione Divinitatis in Carnem, sed assumptione Humanitatis in Deum.

Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro unus est Homo: Ita Deus & Homo unus est Christus.

Qui

Vid. Binscklin. Trind de Bapstia ad inferos p. 85. 1649.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedit ad dextram DEI Patris Omnipotentis.

Inde venturus est, iudicare vivos & mortuos.

Ad cuius Adventum omnes homines resurgere habent, cum corporibus suis.

Et reddaturi sunt de factis propriis rationem. **N**

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisq<sub>3</sub> fideliter firmiterq<sub>3</sub> crediderit, salvus esse non poterit.

Quis est usus hujus Loci?

Ut DEUM Verum & Unum, sicuti se verbo suo revelavit, recte cognoscamus, & colamus: atq<sub>3</sub> per istam cognitionem, & veram fidem, æternam olim felicitatem consequamur.

Iohān. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

Ut eundem ubiq<sub>3</sub> præsentem & omniscium DEUM, scelerum omnium justum Vindicem, & virtutis omnis Retributorem largissimum, ubiq<sub>3</sub> timeamus & veneremur.

Genes. 17. 1. Ego Dominus Omnipotens, ambula coram me, & esto Perfectus.

Atque ejusmodi sane (cum de Deo cogitamus) Cogitationes suscipiendas esse, saniores quoq<sub>3</sub> Et hinc intellexerunt. Sic enim Cicero 2. de Legibus: Sit hæc à principio persuasum hominibus, Dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, que gerantur eorum geri iudicio atque numine, eosdemque optimè de genere hominum mereri: & qualis quisq<sub>3</sub>

fit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat Religiones, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem.

III. Ut eidem Optimo & Maximo, in omni cultu & perturbatione rerum, certissime confidamus. Quia namque Optimus, nunquam SUIOS deseret: quia Maximus, nulla malorum magnitudine superabitur.

Psalm. 60. 14. In Deo faciemus virtutem: & ipse conculcabit tribulantes nos.

Esa. 41. 10. Ne timeas, quia ego tecum sum, neque terrearis, quia ego Deus tuus: Confortabo te, & auxilium tibi feram, & sustentabo te, dexterâ iustitiæ meæ.

I.

Qui præcipui errores hic fugiendi sunt? Epicureorum securitas: Qui NULLUM omnino DEUM esse statuunt.

Psalm. 14. 1. Dixit insipiens in corde suo: NON EST DEUS.

Tit. 1. 15. Omnia munda mundis; Coinquinatæ autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum Mens & Conscientia. Confitentur se nosse DEUM, factis autem NEGANT, cum sint abominabiles, & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi.

II.

Gentilium cæcitas: qui uno Deo non contenti, plures, adeoq; infinitos prope Deos confixerunt, non homines tantum, sed, quod dictu pudendum est, Bruta quoq; & Venenata animalia, quæ Herbas & Arborea, Cæpas & Allium & res quasunque alias, sibi ceteroquin Nocituras, in DEORUM numerum referentes.

Rom.

Rom. 1. 22. Putantes, se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutarunt gloriam in corruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & Volucrum, & quadrupedum, & Serpentum-

Turcarum & Judæorum furor: qui simpliciter UNUM DEUM, nec aliqua ratione Trinum esse opinantur. Sicut enim Essentiam unam, sic unam quoque, duntaxat personam somniant: Quo fit, ut prorsus nullum Deum habeant.

Ioan. 5. 23. Qui non honorificat Filium, non honorificat patrem, qui misit illum.

1. Iohan. 2. 23. Omnis, qui negat Filium, nec patrem habet.

Sectariorum Opiniones: Qui DEVM quidem UNUM & TRINUM esse verbis confitentur: sed Phanaticis suis opinionibus.

1. Vel Essentia unitatem disceperunt: id quod recentiores Antitrinitarii faciunt, qui Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non Hypostasibus, sed Essentiis differre tradant. Neque enim DEUM de DEO genitum dici posse, nisi Pater Filius Essentia differant. Quæ opinione, non UNUS, sed Essentia & numero TRES differentes Dii constituentur.

2. Vel Trinitatem personarum coarctant & convellunt: id quod fecisse scribitur Noetus, circa annum Christum. 257. existimans: eundem patrem & Filium, & Spiritum sanctum, in carne passum & genitum esse: unde Sectatores ipsius dicti sunt Patripassiani. Vide Epiph. Her. 57. Quid malefeci? (dicebat Noetus) Unum DEUM glorifico, Unum novi, & non alium præter ipsum, genitum, passum, mortuum.

Disce-

III.

IV.

Discipulus Noeti Sabellius fuit, qui Praeceptores Noeti, & Motani vestigia sequutus, dicebat; Patrem & Filium, & Spiritum sanctum UNAM esse Hypostasin, & unam Personam, quae Tria habeat Nomina. Et in Vet. quidem testam, ut Patrem Legem tulisse: in Novo, ut Filium, Hominem factum esse: ut Spiritum sanctum autem venisse ad Apostolos. Vide Hilar. lib. 4. de Trinitat. Et Epiph. Heres. 62. Sunt tamen, qui ante Sabellium eandem Heresin in Africa agitatam iudicârunt, à Praxea quodam & Hermogene, unde Praxeani, & Hermogeneani dicti sunt Sectatores.

*Samosateni* Eandem vel cognatam certe Heresin circa annum  
*errore paulo* christi 269. Paulus Samosatenus resuscitavit. Ad-  
*aliter* aliter reuocauerunt enim (Samosatenus) DEUM Patrem, & Fi-  
*lium* lium, & Spiritum sanctum, unum Deum esse. In  
*Uid. Tom.* DEO autem semper esse ipsius Verbum & Spiritum  
*Sipp. sup. V.* ipsius, quemadmodum in Homini corde est proprium  
*Sipp. 37. p. 9.* Verbum: non autem esse Filium DEI in hypostasi,  
*f. 16. 17.* (hoc est, non esse aliam Personam) sed in ipso Deo:  
*aliis locis ibid.* eiusdem, quibus Noetus, Sabellius, & alij, testimoniis  
*citatis.* usus. Non ubique tamen illis aequalis. Non enim hic  
 asserit, veluti Noetus, Patrem passum esse, sed dicit;  
 Verbum venit, & solum operatum est, & rediit ad  
 Patrem. Epiphanius Heres. 65.

Hanc ipsam Heresin proximâ hominum memoriâ reuocauit Seruetus, qui neq; Filium, neque Spiritum sanctum substantialiter in Deo subsistentes agnoscit; sed Deum quasi vertumnum quendam fingit, qui pro re nata, & quadam dispensationis ratione, nunc Patris, nunc Filij, nunc Spiritus sancti Personam in hoc Creaturarum Theatro representet; respectu nimirum operum & actionum, quae quouis tempore exercent.

3. *Vel Personarum divinitatis æqualitatem negant. Quod Arius, circa Annum Christi 344. facere non reformidavit, Filij DEI eternitatem negans, & fuisse tradens, quando non fuisset. Erat quando non erat.*

Sic enim in Epistola ad Eusebium Nicomediensem: Nos autem, quid dicimus ac sentimus, & docuimus ac docemus? Quod Filius, priusquam genitus est, aut creatus, aut decretus, aut fundatus, NON ERAT, ingenus enim non erat &c. Et in Epistola ad Alexandrum, Episcopum Alexandriae Filius sine tempore genitus à Patre, & ante secula creatus ac fundatus, NON ERAT antequam gigneretur, sed sine tempore, ante omnia genitus, solus à solo Patre substitit. Neque enim est sempiternus, aut consempiternus, aut coingenus Patri, neque simul cum Patre ipsum esse habet. Vide Epiphanium Hæref. 69.

Multorum Gentilismus: qui professione Christiani, nihilominus vel in Exercitiis Poeticis, vel in Orationibus, vel in familiaribus etiam Colloquiis aut Iuramentis, frequentem Idolorum gentilium mentionem faciunt: ut, Apollinis, Iovis, Mercurij, Mensarum, Nympharum, & reliquorum Diabolorum, quos Gentiles pro Diis coluerunt: Apud Christianos autem, & populum Dei, etiam memoria ipsorum abolita esse debebat.

V.  
Christiane  
Gentilismus.

Exod. 23. 13. *Omnia, quæ dixi vobis, custodite, & nominis alienorum Deorum ne memineritis, neq; audietur ex ore vestro.*

Deuteron. 12. 3. *Disperdite nomen Idolorum de locis istis.*

Ose. 2. 17. *Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur amplius nominis eorum.*

Eodem loco habendum, & pudendum profectò atque dolendum est, quòd in medio Christiane Ecclesie,

clesiæ, hebdomadæ Dies, vanorum Deorum nominibus, Solis nimirum, Lunæ, Martis, Mercurij, Iovis, Veneris & Saturni, publicè nuncupantur. Cùm ut in cæteris, ita in his quoque Idolorum memoriam, ne Dii Gentium, tam memorabile inter nos monimentum haberent, abominari merito deberemus. Licet enim Astrologi nominibus istis Planetas appellitent, ab antiquis tamen Gentibus, in Deorum numero habitos esse, nemini est ambiguum. Multò rectius itaque fieret, si appellationibus istis abolitis; exemplo Hebræorum, qui Sabatha numerabant, ferie numerentur; ita quidem, ut dies Dominica, hoc, quod in Scripturis, propter Resurrectionis gloriam, nomen sortita est habeat, & in ordine sit FERIA PRIMA; inde SECUNDA, TERTIA, QUARTA, QUINTA, SEXTA, SEPTIMA seu Sabbathum.

Tandem fugienda quoq; est Calvinianorum audacia: qui Dei Omnipotentiam metiri, & certis cerebri limitibus circumscribere non verentur. Sic enim:

THEODORVS BEZ A cum sociis suis in Colloq. Mompelgartensi, pag. 53. ad Dogmata V Virremb. Num. 3. Quinam non desinat, DEVS esse omnipotens, etiamsi efficere non possit, ut Christi corpus uno eodemq; tempore pluribus locis essentialiter præsens sit, aut ut alibi nunc sit, quam in cælis, diximus ad 9. Thesin.

IDEM: In defensione ad Nicolai Selneri defensionem, Volum. Tractationum Theolog. secundo, pag. 445. Concludimus ergò, Christum non modo nolle, verum etiam non posse velle Corpus illud suum verum & *μετ' ἑαυτῶν* multis simul in locis sistere. Neque hoc est ei potentiam detrahere, sed mutabilitatem adimere, quoniam videlicet mentiri non possit.

Fortu-

FORTUNATUS CRELLIUS In Isa-  
goge Logica. pag. 464. & 465. Ista dux (Enunciatio-  
nes:) Corpus Christi aspectabile est: Corpus Chri-  
sti aspectabile non est, sine sine pugnant: quas DEUS  
neque modo huius, neque modo alterius seculi: ne-  
que naturali, neque personali, VERAS UNQUAM  
FACIET.

BARTHOLOMEUS KECKERMAN-  
NUS. In Systemate Logico. pag. 184. DEI poten-  
tiam à priorum communicatione abhorrrere di-  
cit.

I D E M. Ibidem: pagina 42. Entia verò (fr  
Entia dici debent) ficta impossibilia sunt, QVÆ  
NE DEVS QVIDEM PRODVCERE  
POTESET, cum implicent Contradictionem,  
Naturæ DEI adversantem: qualia sunt: DEUS  
creatus, Ubiquitas humanæ carnis: Caro deifica-  
ta.

Eorundem n. plures Errores, quibus bonitatem &  
misericordiam DEI, Sanctitatem, item Iustitiam  
& veritatem ledunt, infra in loco de providentia,  
de peccato, de Evangelio, de Fide, &c.

recitabimus.

*Eukromily m. olim negavit visicam Sci. Vid.  
annotata in Recherb. Append. Trip. p. 235.*

